



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis; Illvstrivm
Miracvlorvm Libri II**

Petrus <Cluny, Abt>

Coloniæ, 1611

V. De alterius cuiusdam ficta confessione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64969)

De alterius cuiusdam ficta confessione.

CAPVT V.

ERAT penè eodem tempore frater quidam in monasterio quod in Francia apud turrim super maternā sub iure nostro est, qui cura eiusdē loci commissa fuerat. Qui diuturnæ ægritudinis necessitate coactus, Rodulrum tunc abbatem monasterij Catalaunensis, propter medelam tam animæ quàm corporis, quarū ille rerum non ignarus erat, ad se venire rogauit. Ad quem ille caritate prouocatus venire non distulit: & veniens mox ægrū visitare curauit. Cumque non mediocriter eum grauari infirmitate cerneret: hortari eum ad confitendum cœpit. Quod ille se libenter agere professus: confiteri peccata sua, sed nō in simplicitate spiritus, aggressus est. Nam grauiora & mortifera stulto pudore reticens, quotidiana tantū & quæ leuia videbantur, timore Dei postposito fatebatur. Qua palliata confessione completa: corpus Dominicum sibi afferri deprecatus est. Quo allato & præsumptuoso ore suscepto, cum diu multumque illud traicere conaretur, nec yale-

B

ret.

16 DE MIRACVLIS

ret, cum vino quod susceperat frustra omnia comminuti corporis Christi in vas, quod ori eius suppositum fuerat, refundere coactus est. Hoc casu, immò diuino iudicio abbas qui aduenerat permotus, & ægrū non plenè confessione purgatum ratus, rursus eum admonere cœpit: vt si aliquod facinus reticuisset, vera sibi confessione reuelare non erubesceret. Qui & hortatu eius & diuino instinctu compunctus, ad cor reuersus est: & quidquid pestis intus latebat euomens, crimina quæ antè letali pudore celauerat, vitali & vera confessione non iam fictè, sed veraciter corde contrito & humiliato patefecit. Cumque omni fece iniquitatis per antidotum pœnitentiæ purgatus fuisset, & vera confessione per abbatem prædictum absolutionem meruisset: Eucharistiam quam prius reijcere compulsus fuerat, allatam deuotè suscepit, & absque vlla difficultate vt sanctissimus aliquis deglutiuit. Et vt de miraculo omnis dubitatio tolleretur, qui particulam corporis Christi quam deglutire non potuit, reijcere per frustra compulsus fuerat: post confessionem non solum corpus Domini, sed etiam cibos alios absque vllò

ullo impedimento suscepit. Sic igitur confessione, absolutione, Sacramenti susceptione frater ille in Domino confortatus: tribus postea tantum diebus supervixit, & sic defunctus est. Hoc ab eodem Radulpho abbate cognoscens, eundem legentibus vel audientibus communicare curavi.

De illo qui per veram confessionem liberatus est à diabolo.

CAPVT VI.

ADDENDVM iam mihi videtur, illud non contemnendum miraculum, quod ipse cum pluribus, vt sequentia docebunt, cōspexi. Causa fuit satis omnibus illius temporis hominibus nota: qua cum pluribus nostrorum Romam adij. Rediens inde Romanas febres satis acerbis mecum retuli. Pro quibus curandis fuit consilium, vt patrium solum & natium repeterem aërem. Ea de causa Celsinianas nobile Cluniacense monasterium petij: atque ibi totam Quadragesimam, longè molestiorem febrium ardoribus, quam ieiuniorum laboribus transegi. Interea dum in sequestrata domo, toto illo tempore

B 2

decum-